

# Bogdan Jankowski

---

## De biblico fundamento quattuor dogmatum marialium

---

Collectanea Theologica 25/3, 509-522

---

1954

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

BOGDAN JANKOWSKI

DE BIBLICO FUNDAMENTO QUATTUOR DOGMATUM  
MARIALIUM

**Conexio fontium Revelationis vindicatur**

Antequam quartum idemque novissimum dogma mariale, nempe somatica Deiparae Assumptio, sollemniter promulgatum est, nonnulli coetus acatholici huic veritati ab Ecclesiae magisterio mox definienda suas opponebant rationes. Quarum potissima haec erat: S. Scripturam de Assumptione silere omnino. Deinde timebant Protestantes, ne post talem definitionem dogmaticam, quae hoc silentium neglegeret, dissidia Catholicam Ecclesiam inter et ceteras Christianorum societas exinde aggravarentur.

At altera ex parte ultimis hisce temporibus acatholici videbantur non ita parum appropinquare Ecclesiae Catholicae et quidem ob communem utriusque partis cultum erga Verbum Dei scriptum. Quo melius rem illustraret, unus ex viris doctis Protestantibus (S. De Diétrich), visionem Iohanneam adhibere non dubitavit, nempe **ostium in caelo apertum** (Ap 4, 1). Quod ostium utrisque patens ex eius opinione intellegitur S. Scriptura.

Licet igitur nobis interrogare, num „ostium apertum” reapse ab Ecclesia Catholica clausum sit — ut nonnulli Protestantes praevidebant — per definitionem dogmaticam Assumptionis. Quo melius huic quaestioni detur responsum, conferendi sunt nobis atque comparandi praecipui modi arguendi e S. Scrip-

tura hucusque in mariologia, strictius: in dogmatibus marialibus vindicandis, adhibiti.

### Θεοτόκος

Dogma primum in Concilio Ephesino, vere mariali, definitum et sequentibus in synodis oecumenicis Chalcedonensi, II et III Constantinopolitana repetitum — Mariam dicit Dei Matrem. Ipse quidem terminus Θεοτόκος. Latine redditus voce „Deiparae”, in documentis ecclesiasticis occurrens, in Sacra Pagina NT deest omnino, at veritas haec aequaliter ibidem exprimitur. Ubi utramque hanc ratiocinandi invenies praemissam: 1) Maria dicitur vere Mater Iesu Christi, 2) Iesus Christus non solum homo, sed vere Deus esse exhibetur. Et quidem Maria iam inde ab Annuntiatione appellatur Mater Iesu (Lc 1, 31; Mt 1, 20 sq); pluries metonymice „Mater Iesu” pro Maria usurpatur (Mt 2, 11; Lc 2, 51; J 2, 1; 19, 25; A 1, 14). Neque alteram praemissam neget quispiam, qui serio studio theologiae Novi Testamenti incumbit. Utriusque praemissae veluti conclusionem fas est videre adumbratam in exclamatione Elisabeth: „Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini in me ad me? (Lc 1, 43)”. Sententiae huius contextus, imprimis versus 41 mentionem faciens de instinctu Spiritus Sancti, deinde emphasis exclamationis vocem Κύριος heic usurpatam termino „Dei” aequivalere insinuant<sup>1)</sup>.

Eandem conclusionem alio modo suggerit illud Pauli Apostoli: „At ubi venit plenitudo Legis, misit, Deus Filium suum factum ex muliere (G 4, 4)”. Perquam cauta est revera ista locutio, at sensibus scatet. Meminisse tamen nos oportet peculiaris omnino paedagogiae a catechesi primitiva adhibitae, quod attinet gradualem manifestationem, quis esset Christus. Factus

---

<sup>1)</sup> Etsi acquiescamus sententiae M. - J. Langrange, Evangelie selon St Luc, Paris<sup>4</sup> 1927, 43, qui in ore Elisabeth „Dominum meum” idem valere ac Messiam censet, animadvertis heic parallelum quid ad Ps 109 (110), 1 (adoni), nihil tamen labefactatur theologica arguendi ratio. Quo enim modo intellegendus sit ille „Dominus meus”, e supra dicto psalmo, clare edocet logion Mt 22, 41—45, ubi Christus simplex „filius David” esse negatur. Cf. etiam L. Cerfaux, Adonai et Kyrios, Rech. de Sc. Ph. Th., VIII/1931.

(γενόμενος) ex muliere (Maria) in tempore est Dei Filius praeexistens (cf. R 1, 3; Ph 2, 6 sq; C 1, 15 sq). Maria igitur est Mater Filii Dei.

At divina Mariae maternitas iam inde ab antiquis temporibus impugnabatur a Docetis, qui eam negare conati sunt nixi tali biblico argumento, quod videlicet numquam Christus in Evangelii Mariam allocutus esset *m a t r e m*, sed tantum *m u l i e r e m* (J 2, 4; 19, 26), immo vero hanc corpoream maternitatem manifesto postposuissest spirituali oboedientiae (Mt 12, 46—50). Quod vel facillime refutatur. Iohannea namque vox „mulieris” idiomatice sumenda est et vertenda, utpote quae tum apud Graecos tum apud Semitas maximam expreserit reverentiam ad instar vocis *D o m i n a e*. Non ita parum utroque loco Iohanneo contextus ipse sermonis talem modum loquendi cottidiano sollemniorem videtur postulare, cum agatur de prima omnium manifestatione potentiae Christi et de ipsius ultima voluntate. Logion vero Matthaeanum nimis terrenum erga hanc maternitatem physicam affectum mitigat et ipsius maternitatis conceptum rudem excludit.

Dicendum est igitur primum dogma mariale perfecto fundamento biblico gaudere. At si litem Nestorianam de termino Θεοτόκου propius inspicimus, prout in rebus Ecclesiae gestis appareat, facile deprehendimus tunc temporis non tam biblicis argumentis rem fuisse promotam quam potius subtili terminorum πρόσωπον et ὑπόστασις investigatione. Quod facile intellegitur, nam illis temporibus de christologia p[re]a primis disputabatur. Nestorii enim error principalis Christum attinebat, Mariam vero mediante praecedenti tantum<sup>1)</sup>.

### S e m p e r V i r g o

Dogma hoc dicens Mariam sine ullo virginitatis sua detrimento Iesum Christum concepisse, deinde item sine ullo de-

---

<sup>1)</sup> Caelestinus Pp I bis generatim asserit Nestorii doctrinam S. Scripturae esse contrariam, at verba haec potius unionem hypostaticam quam divinam maternitatem respiciunt, quatenus in Sacra Pagina exhibetur. Cf. E. A m a n n, Nestorius, DTC 11, 1, 101 sq.

trimento genuisse, denique toto vitae posterioris decursu virginem permansisse intemeratam, vivide contra plures defendebatur errores<sup>1)</sup>. Definitum vero formaliter est demum in suo triplici asserto: ante partum, in partu, post partum — in I Synodo Lateranensi<sup>2)</sup>. Non omnes theologi eadam notant censura singulas theses huius dogmatis. Nihilominus tota veritas est d e f i d e. Quas tres theses praestat distinguere etiam in fundamento earum biblico examinando, nam alio atque alio modo illud in singulis appareat.

A n t e partum asseritur virginitas Mariae inde a temporibus catecheseos apostolicae. Quod assertum deinde contra plures adversarios constanter defendebat Ecclesia. Iam in I Evangelio probatio nititur vaticinio expleto Isaiae de Emmanuel (7, 14): „Propterea Dominus (=Adonai) ipse dabit vobis signum: ecce virgo (= *halalma (h)*) praegnans (est) et parturiens filium, et vocabis nomen eius Nobiscum Deus (= ‘*Immanu’el*’)”<sup>3)</sup> Quo in argumento, si exegeseos respicimus historiam, fere omnia singillatim in dubium vocabantur, nempe: a) num textus Prophetae de Messia tractet, b) num *ha’alman(h)* virginem sensu proprio designet, c) num „signum” reapse quidpiam supernaturale necessario secum ferat. Quae quidem dubia a rationalismi fautoribus imprimis movebantur atque etiam hoc tempore lites has omnino cessasse negandum est<sup>4)</sup>. Ne diutius singulis immoretur, catholicam huius loci exegesim ad haec capita revocare licet: a) messianica indoles textus est certa (praescindendo, quoniam sensu: immediatio et proprio necne), b) *ha’alma(h)* denotans stricte „puellam nubilem” est virgo d e i u r e (M. - J. L a g r a n g e), c) „signum” utpote ab ipso Deo benigne concessum naturae cursum certo certius transgreditur. At quaecumque de solo textu Isaiae dicantur, exegetam catholicum prae primis

<sup>1)</sup> Quos spargebant: Iudei, Ebionitae, Cerinthiani, Celsus, Helvidius, Bonosus, Vigilantius, Iovinianus et Antidicomarianitae.

<sup>2)</sup> Cf. Denz. 256. Eadam repetit Paulus Pp IV contra Socinianos (Denz. 993).

<sup>3)</sup> Haec versio sequitur textum primigenium, dum noster Mt nunc exhibet vaticinium secundum versionem LXX.

<sup>4)</sup> Cf. J. Steinmann, Le prophète Isaïe..., Paris 1950, 88—90.

obligat hac in re illa authentica interpretatio, quam Mt 1, 22 s exhibet, pluries uti talis inculcata<sup>1)</sup>). Loci contextus Matthaeanus (1, 18—25) rem ipsam vel luculentissime demonstrat, ubi • Mariae Sponsus virginitatis eiusdem simul cum graviditate subsistensis testis caelitus edoctus describitur.

Quod summatim tantum apud Mt 1, 18 verbis: „inventa est in utero habens de Spiritu Sancto” enuntiatur, peculiari modo effertur apud Lucam in describenda Annuntiationis scena (1, 26—28). Versus praesertim 27 cum voce παρθένος et 34 cum interrogatione Mariae, quoniam pacto fiat ipse conceptus annuntiatus et partus, tribuunt novum et quidem omnino independens primae theses fundamentum.

Quod insuper confirmatur eo, quod Ioseph fuisse naturalem Iesu patrem excludunt sobrii quidem et concisi, sed manifesti loci e Christi genealogiis desumpti. In Matthaeana interrumpitur schema hucusque repetitum et in hunc modum concluditur: „Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Jesus...” (1, 16). Apud Lucam vero datur haec parenthesis: „...ut putabatur filius Ioseph” (3, 23).

In partu conservatam fuisse Mariae virginitatem probari potest textu supra laudato Isaiae, sumpto iam una cum interpretatione Matthaei. Apud Prophetam illa Virgo exhibetur „praegnans et partutiens” (*hara(h) wejoledeth*). Leges grammaticae hoc loco adiectivum „praegnans” a participio „parturiens” seiungi non sinunt; e contra dicendum est utrumque simuli tribui subiecto „Virgo”.

Partus, etsi non virginalis at certo praeternaturalis, subtilis quaedam confirmatio biblica invenitur apud Lucam 2, 7, ubi curae describuntur a sola Deipara praestitae recens Nato. Libet nunc Hieronymi citare commentarium: „nulla ibi obsterix, nulla muliercularum sedulitas intercessit; ipsa pannis involvit infantem: ipsa et mater et obsterix fuit”<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> Cf. Breve Pii Pp VI „Divina” datum die 20.IX.1779 (EB 59) et Responsum Commissionis de Re biblica datum die 28.VI.1908 (EB 287—291, praesertim: 288).

<sup>2)</sup> Adv. Helv., ML 23, 192.

Quanti sit aestimanda vis probativa argumenti biblici pro hac thesi secunda, non idem ab omnibus respondetur, sed non desunt, quibus omnino sufficiens probatio videatur. At unum procul dubio affirmari potest: Ecclesiam in fidei symbolis verba NATUS EX MARIA VIRGINE non semel inseruisse nixam non solis hisce textibus bibliis. Viva Traditio non ex ipsis demum orta esse, sed potius ipsos recta luce inde ab initiis illustrasse dicenda est.

P o s t partum Mariam permansisse virginem intemeratam concludere fas est mediantibus aliis S. Scripturae verbis. „Virum non cognosco” (Lc 1, 34) tunc demum censeri potest adaequatum annuntiato arcano responsum, si admittitur propositum Mariae non utendi iuribus matrimonii cum Ioseph fuisse perpetuum. Merito igitur tale propositum a tali Matre, praesertim facta mirabili tum conceptione tum partu, adamussim toto vitae decursu servatum esse concludunt theologi. Quamquam omnino recta conclusio haec una tantum praemissa stricte biblica innititur, dum altera, licet moraliter evidens, aliunde sumitur.

Corroboratur haec conclusio partim saltem illa Christi morientis in cruce legatione testamentali (J 19, 26). Cum Maria commendata sit illa hora Ioanni, merito infertur defuisse Mariae alios liberos, qui matri orbatae consulerent.

A nonnullis Patribus<sup>1)</sup> et deinde a pluribus theologis va-  
ticinium Ezechielis de Templi porta clausa reservataque soli  
Principi (44, 1—3) virginitati Mariae post partum adumbrandae  
applicatur. Merito tamen interrogari potest, quanti censenda  
sit talis applicatio. Adestne pia tantum sensus accommodatio?  
Non desunt, qui typicum loci sensum admittant, immo vero  
nonnulli heic sensum consequentem seu pleniorum detegi posse  
autument (K n a b e n b a u e r).

---

<sup>1)</sup> Perspicuum Ambrōsii effatum iuvat heic afferre: „Quae est haec porta, nisi Maria? ideo clausa, quia virgo? Porta igitur, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu et genitalia virginitatis claustra non solvit” De inst. virg., 8, 52 ML 16, 320. — Hanc explicationem etiam ad priorem thesim spectare patet.

Tribus his locis examinatis, qui ad tertiam spectant thesim, rem hoc modo plane esse probatam contendere non licet. saltem hoc tempore; licebit vero, si Ecclesiae magisterium in textu ultimo Ezechielis sensum hunc pleniores reapse inesse definierit.

Si nunc in unum conferimus considerata hucusque de dogmate virginitatis perpetuae, quatenus hoc privilegium tribuitur Mariae a Sacris Paginis, dicendum est dogma hoc tres theses complectens tamquam totum quid ex solo hoc fonte Revelationis perfecte deduci atque demonstrari non posse. Prioris fontis alter fons interpres accedat necesse est, videlicet Traditionis. Hoc sensu brevi dici potest hoc dogma esse „dogma Traditionis” (M.-J. Lagrang).

Non secus atque in vindicando primo dogmate mariali aderant noti in historia exegeseos NT conatus arguendi e S. Scriptura contra virginitatem Mariae. Praetermissis heic hypothesibus rationalismi, quae scenam Annuntiationis vel omnino legendariam vel interpolatam censem — utpote quae nullo fundentur argumento obiectivo — hi loci sunt examinadi: a) „antequam convenienter” (Mt 1, 18); b) „et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum” (Mt 1, 25); c) „et peperit filium suum primogenitum” (Lc 2, 7); d) pluries occurrentes „fratres Domini” (Mt 12, 46; 13, 55; Mc 6, 3; Lc 8, 19; J 2, 12; A 1, 14; 1 C 9, 5; G 1, 19). Omnes hae difficultates olim multum et quidem vehementer discussae nunc facili negotio solvuntur, praesertim melius cognitis idiomaticis Semitarum locutionibus et Palaestinensium illius temporis moribus atque institutis. Et quidem: a) vox οὐέρχεσθαι (Mt 1, 18) non vitam coniugum carnalem denotat sed peculiarem caeremoniam, qua sponsa ad sponsi domum solemniter deducebatur<sup>1)</sup>; b) ἀως οὗ (Mt 1, 25) = donec in Vulgata versione, est locutio idiomatica, in qua negatur tantum praedicatum, nihil vero enuntiatur de ulteriore status du-

---

<sup>1)</sup> Cf. Mt 25, 1—12; Ioseph Flavi Ant. Iud., 4, 8.

ratione neque de mutatione huius statut in posterum<sup>1)</sup>; *πρωτότοκος* (= *bekhor*) in S. Scriptura non filium, post quem alii sunt nati, sed talem, ante quem ortus est nemo, designat<sup>2)</sup>; d) „fratres Domini” sunt Iesu consobrini, nam ἀδελφές in NT est translatio hebraicae et aramaicae vocis ‘ach, quam latius patere „fratre” Latino nemo est, qui non videat<sup>3)</sup>. Hic igitur usus latior proprius iam versionis LXX-viralis adest, quotiescumque sermo in NT de „fratribus Domini” occurrit.

Sine labore originali Concepta declarata est Deipara Virgo, postquam permulti et quidem praestantissimi theologi rem penitus discusserunt. Quibus in litibus dogmatis futuri fundamentum biblicum non fuit res summi momenti. At talis quaestio et ponenda et solvenda erat, cum enim Bulla dogmatica Pii Pp IX „Ineffabilis” veritatem Conceptionis Mariae sine originali dogma divinitus revelatum esse definierit, interrogandum erat, quonam modo haec veritas inesset fontibus Revelationis, ideoque et S. Scripturae. Si theologorum hac in re conatus conectendi dogma hoc sum Sacris Paginis considerantur, appareat prae primis adhibitam esse methodum dialecticam et investigationes sensus consequentis seu plenioris. Et quidem duo textus ad trutinam revocantur: Protoevangelium, quod dicitur (Gn 3, 15), et „gratia plena” apud Lucam (1, 28).

De Protoevangelio multum et varie ultimis temporibus disputabatur. Quod vim probativam huius textus ad dogma stabiliendum attinet, tres principales quaestiones movebantur: a) num admittendus sit sensus mariologicus Gn 3, 15; b) num de interpretatione mariali adsit consensus Patrum; c) num huius modi consensus in Bulla „Ineffabilis” reapse doceatur adesse. Altera quaestio et tertia ortae sunt ex disceptanda pri-

<sup>1)</sup> Omnis conatus durationem status coarctandi absonum quid inducat necesse est, quod vel optime videtur exemplo locorum: Ps 109 (110), 1; 111 (112), 8; Mt 28, 20.

<sup>2)</sup> Cf. C. Lavergne, L'expression biblique, Paris 1947, 10 § 22, ubi citatur inscriptio sepulcralis aegyptiaca, caeculo I a. C. c. n. n. facta, referens mortem matris durante partu p r i m o g e n i t i, usum hunc vocis vel optime illustrans.

<sup>3)</sup> Cf. ibidem, 20 § 65.

ma ob argumenta ab assertoribus adhibita in defensione. Facilius est quaestionum harum solutiones referre incipiendo ab ultima. Textum Bullae minime talem consensum definire, sed tantum asserere Patres (indeterminata quantitate eorum: ergo nonnullos) ad Mariam rettulisse „Mulierem” Protoevangelii constat. De altera quaestione, nempe de Patrum hac in re consensu, lites recentissimae perquam vividae et nondum di-rempta<sup>1)</sup> iudicium cautissimum proferre permittunt: consensus unanimis, vel saltem moraliter — ut aiunt — communis Patrum, qui hermeneuticae legibus praescribitur, ut aliqua interpretatio verborum S. Scripturae pro obligatoria habeatur, heic affirmari non potest. Attamen nunc fere unanimi consensu constat inter theologos et biblistas catholicos Protoevangelium sensum mariologicum p[ro]ae se ferre. Quanti sit momenti hic consensus pro quaestione solvenda nunc investigemus oportet, dum responsa primae data quaestioni referemus.

Quaestio, quonam sensu et — ut ita dicam — quonam gradu admittendus sit sensus mariologicus Protoevangelii, et deinde quanti valeat huius textus vis probativa pro dogmate Immaculatae Conceptionis vindicando, non uno modo solvitur. Et quidem theologi dogmatici generatim plura, pauciora biblistae Veteris Testamenti investigationibus incumbentes solent expiscari.

Inter exegetas catholicos diversitas interpretationis mariologicae Protoevangelii ab eo potissimum dependet, quam **M u l i e r e m** et quonam modo designatam voce **ha'isša** admittunt. Itaque — ut brevitatis gratia praestantissimi tantum auctores et vel maxime typicae citentur solutiones — ad haec capita revocantur eorum placita: Vox illa designat: 1) omnes **c o l l e c t i v e** sumptas mulieres, in quibus praestantissimum locum occupat Maria (**M u r i l l o**); 2) sensu litterali et **e x - c l u s i v o** Mariam (**V i g o u r o u x**, **B i l l o t**, **B o v e r**,

---

<sup>1)</sup> Praecipuo incitamento fuit opus F. (L.) D r e w n i a k, Die mariologische Deutung von Gen 3, 15 in der Väterzeit, Breslau 1934. Discussionum vero eventus exponuntur in opere T. G a l l u s, Interpretatio mariologica Protoevangelii..., Roma 1949.

Gallus); 3) sensu litterali Evam, sensu vero typico Mariam (Hummelauer, Lagrange, Cappens); 4) utroque sensu simul et Evam et Mariam, sed diverso in gradu ita, ut sensus plenior sit mariologicus (Hetzner, Bea, Styś)<sup>1)</sup>.

Longum est singularum thesim argumenta heic ad trutinam revocare, quod sane propositum nostrum excederet, sed unam animadversionem methodologicam iuvat afferre. Iure meritoque adversarii interpretationis typicae obiciunt aequo pauciora esse testimonia authenticae explicationis typicae in S. Scriptura et Traditione. At ratio arguendi pro dogmate Immaculatae Conceptionis ex verbis Protoevangelii vindicando minime pendet ab eo, quae eligatur interpretatio ex hisce quatuor. Et hoc modo summatim exponi potest. Dum textus hebreus haec habet: „Et ponam inimicitias inter te (=serpentem) et Mulierem et inter semen tuum et semen eius (=Mulieris): illud (=semen) conteret tibi caput, et tu vulnerabis illi (=Semini) calcem”, sensus mariologicus est hic: inter se strictissime conexi Mulier (=Maria) et eius Semen (=Christus) incessanter bellum gerent cum serpente (=Satana) eiusque semine (=angelis apostatis et hominibus diabolo addictis), quod bellum finietur ultimo, perfecto Seminis Mulierisque triumpho. Inde merito concludi potest: si praedicitur triumphus perfectus, perfectam necesse est prae se ferat victoram super peccatum satanica suggestione inventum, aliis verbis: Mulierem illam oportet esse omnino a peccato quolibet immunem, ergo etiam a peccato naturae totius seu ab originali labe. Quod idem est ac Conceptio Immaculata.

Textum Lucanum insuper citat Bulla „Ineffabilis”. Quaeritur, quanti valeat in dogmate vindicando  $\chi\epsilon\gamma\alpha\zeta\tau\omega\mu\epsilon\nu\gamma$  = gratia plena (1, 28). Locutio haec in salutatione sumitur mente tonante pro Maria, indolem igitur personalem ipsius di-

---

<sup>1)</sup> Huius modi duplex applicatio adest v. g. in „psalmo resurrectionis” 15 (16), quod iam antiqui animadverterunt exegetae. Quamquam Davidem respiciunt verba psalmi, perfecta sensus adimpletio fit demum in Christo.

cenda est denotare. Nulla deinde apponitur sensus huius vocis limitatio, late igitur sumenda est. Ex quibus saltem haec merito concludi possunt: Maria iam ante gratiam divinae maternitatis collatam nacta est Dei gratiam modo perfecto et stabili, perdurante ad tempus, quo sermo fit ad eam, nam eas notas postulat participium p e r f e c t i a Luca adhibitum in vertenda salutatione probabilissime lingua patria prolata et audita. Verba contextus, quae sequuntur, nempe: „Dominus tecum” et „benedicta tu in mulieribus”<sup>1</sup>), plane peculiarem indolem relationis Mariae ad Deum manifestant. Exegesis traditionalis merito igitur videt heic confirmationem peculiaris privilegii, quod est Immaculata Conceptio.

Difficultas olim in litibus theologicis medii aevi maxima sumebatur contra privilegium Immaculatae Conceptionis e textu Pauli Apostoli universalitatem peccati originalis inculcante: „propterea sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum — mors, et ita mors in omnes homine pertransiit, nam omnes peccaverunt”<sup>2</sup>) (R 5, 12). Sed difficultas illa iam pridem soluta est facta subtili distinctione theologica inter „debitum contrahendi”, de quo loquitur Apostolus, et ipsam maculae contractionem realem. Prius in Maria admittitur (praescindendo, utrum proximum an remotum debitum), posterius negatur. Analogiam biblicam huius privilegii animadverterunt plures in alia exceptione facta a lege communi, nempe ea, quae Esther attinebat (15, 13).

Ex quibus appetit argumentationem biblicam dogma Immaculatae Conceptionis vindicantem necessario requirere tum Traditionem, quae textus S. Scripturae illustret, tum magisterium Ecclesiae, quae ipsos authentice interpretetur.

<sup>1</sup>) Quae ultima etsi ex hoc contextu seiungantur ob rationes criticas haud spernendas et in 1, 42 tantum relinquuntur, certo sunt Lucana et eodem semper modo loquuntur de peculiari Mariae situatione.

<sup>2</sup>) Versio — uti patet — sequitur non Vulgatam, sed textum primigenium.

### Corpo r e a d c a e l e s t e m g l o r i a m A s s u m p t a

Huius privilegii marialis probatio biblica hucusque imprimis nitebatur iisdem textibus atque defensio antea definiti privilegii Immaculatae Conceptionis. Ante diem 1 Novembris anni 1950 varie a theologis aestimabatur, quonam modo dogma somaticae Assumptionis erui posset e S. Scriptura. Et dum antea admittebant in textibus biblicis inveniri tantum rationes hanc veritatem Traditionis innuentes, recenter apud eos sententia veritatem hanc esse formaliter implicite in S. Scriptura contentam praevalens evasit.

Protoevangelium e triumpho perfecto Mulieris-Mariae super peccatum eiusque sequelam ulteriore sinit deduci conclusiones. Textus Gn 3, 15 est sententia condemnatoria Serpentis-Satanae. Quaenam poena statuta esset, patuit profecto demum in luce Novi Testamenti, i. e. simulatque inflictā est poena. Quod ita patuit: Semen Mulieris (et Eius tantum, i.e. sine viro conceptum) seu Christus, vulneratus in calce (solummodo in calce, nam triduo tantum corpore morti subiacens, et deinde resurgens a mortuis), contrivit caput Serpentis facta Redemptione. In qua partem habet et Mater (utpote Corredemptrix, sub Cruce victoriam afferente, saltem sensu morali). Ulterior condemnationis Satanae executio hominibus pandit redditum ad statum, qui lapsum praeceserat, seu — ut Pauli utamur verbis — sumus „exspectantes redemptions corporis nostri (R 8, 23)” — immortalitatem eiusdem Corporis. Cum hac in victoria Mater longe strictius ceteris associata esset Redemptori, triumphum Mariae pleniorem fuisse oportet quam in ceteris hominibus, modo tantum liberativo redemptis. Triumphus ille, quod animam attinet, fuit gratia Dei infusa ipsi in primo conceptionis instanti, quod vero corpus afficit, est corporis glorificatio facta ante universalem resurrectionem mortuorum<sup>1)</sup>. Hoc modo Maria excluditur e numero condemnatorum in Adam: „in pulverem reverteris” (Gn 3, 19). Quod idem est ac somatica Assumptio.

---

<sup>1)</sup> Quod ratiocinium minime dependet ab eo, utrum mors physica Mariae admittatur necne.

Conclusio praecedens confirmatur ambabus locutionibus Lucanis: „gratia plena” et „benedicta in mulieribus”. Plenitudo enim benedictionis divinae cum statu subiacendi qualibuscumque peccati sequelis nequaquam componi potest: benedictio excludit maledictionem. Denique — ut volunt nonnulli — totum dogma Assumptionis cum contineatur in veritate Immaculatae Conceptionis, eadem probatio biblica in dogmate posteriore vindicando applicetur necesse est.

Non desunt tamen conatus introducendi novos quosdam textus praeter supra laudatos. Visio nempe Iohannea „Mulieris amictae sole” (Ap 12, 1 et sqq) arridet pluribus<sup>1)</sup>. Liturgica „lex orandi” iam pridem hunc textum Mariae applicare non dubitabat, dum symbolum istud Ecclesiae ad Mariam transferebat. Inter fautores huius mariologicae interpretationis, qui ad Assumptionem vindicandam multum conferre hunc textum existimant, duas licet animadvertere tendentias diversas: magis moderati duplarem imaginis applicationem admittentes, Ecclesiae primum, Mariae secundum tribuunt locum, rigidores vero primo loco heic de Maria agi autumant. Quod attinet quaestionem principalem, utrum videlicet textus hic de Maria tractet necne atque etiam, si tractat, quonam gradu probet somaticam eius Assumptionem (signum in c a e l o, fuga ope duarum a l a r u m) peremptoria solutio nondum dari potest: adhuc sub iudice lis est. Sed definitio ultima dogmatis certo certius investigationes biblicas promotura speratur.

Nunc generales quasdam conclusiones deducamus oportet ex considerata ratione arguendi e S. Scriptura in singulis mariologiae sese evolventis stadiis. Catholicus nempe conceptus connexionis internae fontium Revelationis vel optime illustratur a mariologia. Ad haec fere capita revocari potest ille nexus: a) S. Scripturam non esse unicum Revelationis fontem, sed ut plene intellegatur, requirere alterum et quidem latius patentem fontem — Traditionem sensu statico; b) utrumque Testa-

---

<sup>1)</sup> Cf. M. J u g i e, La mort et l'Assomption de la Ste Vierge, Città del Vaticano 1944; S. K o w a l s k i, Mulier amicta sole, At. Kapl 51 (1949) 209—223; 401—423.

mentum efformare homogeneum aliquod totum, quo fit, ut pleniorum possimus sensum invenire in Vetere data luce Novi Testamenti; c) magisterium Ecclesiae, Traditionis sensu dynamico organum, totius depositi revelati esse tum custodem tum authenticum interpretem.

Insuper considerata evolutione mariologiae, praesertim vero parte crescente, quam habuit in ipsa Ecclesiae magisterium, animadvertere licet adesse mirum quendam parallelismum: de Verbi Sponsa — Maria plura in dies declarare non dubitavit Sponsa Christi — Ecclesia.

Nunc quaestioni initio positae respondeamus necesse est. Num desperanda est omnino cum acatholicis consensio, quod talem S. Scripturae conceptum — ut supra — attinet? Negandum videtur. Nam duplex studium nunc inter eos manifestatur: primum — investigandi et formandi veram theologiam biblicam, non mere philologicam exegesim et superficialem, alterum — investigandi primitivam Ecclesiae historiam, fontes kerygmatis apostolici, seu hoc stadium, quando iam existebat Ecclesia docens et nondum aderat Sacra Novi Testamenti Pagina. A serio studio historico patet transitus ad agnoscendam totam auctoritatem Ecclesiae in deposito divino tuendo atque authentice interpretando. Quam ob rem: ostium maneat aperatum.